CARMINA CLERICORUM.

CARMINA CLERICORUM.

STUDENTEN-LIEDER DES MITTELALTERS.

EDIDIT

DOMUS QUAEDAM VETUS.

SUPPLEMENT ZU JEDEM COMMERSBUCH.

SIEBENTE AUFLAGE.

VERLAG VON GEBR. HENNINGER,
HEILBRONN.

GEDRUCKT IN DIESEM JAHR.

JUVENTUTI ACADEMICAE.

INDEX.

I.

II.

CARMINA POTATORIA.

III.

CARMINA AMATORIA.

IV.

SCHOLARIUM RATIO.

V.

CARMINA LASCIVULA.

I.

1) In laudem almae matris. — Lob der Deutschen Universitäten.

Urbs salve regia,
Trevir, urbs urbium,
Per quam lascivia
Redit ad gaudium,
Florescit patria,
Flores sodalium
Par douceur.
Her wirt, tragent hêr nuo wîn,
Vrôlich suln wir bî dem sîn.

Trevir metropolis,
Urbs amoenissima,
Quae Bacchum recolis
Baccho gratissima,
Da tuis incolis
Vina fortissima
Par douceur.
Her wirt, tragent etc.

Ars dialectica —
  Nil probat verius:
Gens *teutonica* —
  Nil potat melius,
Et plus munifica
  Sua dans largius
  Par douceur.
    Her wirt, tragent etc.

Jovis in solio
  Coramque superis
Fuit judicio
  Concursu Veneris
Rosa rosario
  Data prae ceteris
  Par douceur.
    Her wirt, tragent etc.

Quid est jucundius:
  Praesigni facie
Rosa rosarios
  Decorat hodie.
Unde vox laetius
  Sonat laetitae
  Par douceur.
    Her wirt, tragent etc.

II.

Carmina potatoria. — Zu Bier und Wein.

2) Dies academicus. — Am Commerstag.

Mel.: Frisch und frei in Saus und Braus.
Allg. deutsches Commersbuch p. 193.

Tempus hoc laetitiae,
Dies festus hodie:
Omnes debent psallere,
Cantilenas promere:

Et affectu pectoris,
Toto gestu corporis, —
Et scolares maxime
Qui festa colunt optime.

Stilus nam et tabulae
Sunt feriales epulae
Et Nasonis carmina
Vel aliorum pagina.

Quicquid agant alii,
Iuvenes amemus,
Et cum turba plurima
Ludum celebremus.

3) Ordo Vagorum. — Lied der Corpsbrüder.

Mel.: Dulce cum sodalibus.
Allg. deutsches Commersbuch p. 178.

Cum in orbem universum
Decantatur: Ite,
Sacerdotes ambulant,
Currunt coenobitae,
Et ab evangelio
Jam surgunt levitae,
Sectam nostram subeunt
Quae salus est vitae.

In hac secta scriptum est:
„Omnia probate,
Vitam nostram optime
Vos considerate,
Contra pravos clericos
Vos perseverate,
Qui non large tribuunt,
Vobis in caritate."

Nos misericordiae
  Nunc sumus auctores,
Quia nos recipimus
  Magnos et minores,
Divites recipimus
  Et pauperiores,
Quos devoti monachi
  Mittunt extra fores.

Marchiones, Bavari,
  Saxones, Australes,
Quotquot estis, nobiles
  Vos precor sodales,
Auribus percipite
  Novas decretales:
Quod avari pereant
  Et non liberales.

De Vagorum ordine
  Dico vobis jura,
Quorum vita nobilis
  Dulcis est natura,
Quorum placet animis
  Pinguis assatura
Vere plus quam faciat
  Hordei mensura.

Ordo noster prohibet
  Matutinas plane.
Sunt quaedam fantasmata,
  Quae vagantur mane,
Per quae nobis veniunt
  Visiones vanae;
Et qui tunc surrexerit
  Non est mentis sanae.

Ordo noster prohibet
  Semper matutinas;
Sed statim, cum surgimus,
  Quaerimus pruinas.
Illuc ferri facimus
  Vinum et gallinas,
Nil hic expavescimus
  Praeter Hashardi minas.

Ordo procul dubio
  Secta vocitatur,
Quam diversi generis
  Populus sectatur:
Ergo hic et haec et hoc
  Ei praeponatur,
Quod sit omnis generis
  Quitot hospitatur.

Ordo noster prohibet
  Uti dupla veste.
Tunicam qui recipit,
  Ut vadat honeste,
Pallium mox rejicit
  Decio conteste,
Cingulum huic detrahit
  Ludus manifeste.

Quod de summis dicitur,
  In imis teneatur;
Camisia qui fruitur
  Braccis non utatur;
Caliga si sequitur
  Calceus non feratur;
Nam qui hoc transgreditur
  Excomunicatur.

Nemo prorsus exeat
  Hospitio jejunus,
Et si pauper fuerit
  Semper petat munus,
Incrementum recipit
  Saepe nummus unus,
Cum ad ludum sederit
  Lusor oportunus.

Nemo in itinere
  Contrarius sit ventis,
Nemo in paupertate
  Ferat vultum dolentis,
Sed spem sibi propronat
  Semper consulentis,
Nam post grande malum sors
  Sequitur gaudentis.

Ad quos perveneritis,
  Dicatis eis, quare
Singulorum cupitis
  Mores exprobrare:
„Reprobare reprobos
  Et probos probare
Et probos ab improbis
  Veni segregare".

4) In honorem hospitis. — Receptionslieder.

a.

Jocundemur socii,
Sectatores otii,
  Nostra pangant ora
  Cantica sonora,
Ut laudemus dignos laude
  Virtuosos
Et carentes fraude.
  O et O
  Cum jubilo
Largos laudet nostra concio.

Ad honorem *hospitis,*
Cujus festum colitis,
  Canite benigne
  Carmen laudis dignae,
Maerorem repudiemus,
  Et psallentes
Omnes intonemus:
  O et O etc.

Invidos, hypocritas
Mortis premat gravitas!
Pereant fallaces!
Et viri mendaces,
Munus qui negant promissum
Puniendi
Ruant in abyssum.
O et O etc.

....

b.

,,Cum animadverterem'', dicit Cato.
Quis me redarguit de peccato?
Laudem et honorem canimus
Nostro *hospiti,* cui bonus est animus.

Ergo fratres carissimi, intelligite,
Et ad ora pocula porrigite,
Et si aliquis inebrietur ex vobis,
Declinet seorsum a nobis.

... ...

c.

Conventus iste nobilis
Laetetur his conviviis,
  Et mera mente gaudeat
  Et dignas laudes referat
Summo patris filio
Et *hospiti* largissimo
  Tali dicto nomine
  Ut longo vivat tempore.

5) Ave vinum. — Trinklied.

Vinum bonum et suave,
Bonis bonum, pravis prave,
Cunctis dulcis sapor, ave,
  Mundana laetitia!

Ave felix creatura,
Quam produxit vitis pura,
Omnis mensa fit secura
  In tua potentia.

Ave color vini clari,
Ave sapor sine pari.
Tua nos inebriari
  Digneris potentia.

Ave placens in colore,
Ave fragrans in odore,
Ave sapidum in ore,
  Dulce linguae vinculum.

Ave sospes in modestis
In gulosis mala pestis,
Post amissionem vestis
  Sequitur patibulum.

Monachorum grex devotus,
Omnis ordo, mundus totus
Bibunt ad aequales potus
  Et nunc et in saeculum.

Felix venter, quem intrabis,
Felix lingua, quam rigabis,
Felix os, quod tu lavabis,
  Et beata labia.

Supplicamus, hîc abunda!
Per te mensa fit fecunda,
Et nos cum voce jucunda
  Deducamus gaudia.

6) In laudem vini. — Trinklied.

Ave color vini clari,
Ave sapor sine pari,
Tu qui nos inebriari
  Digneris petentes.

Felix homo te plantavit,
Qui te vinum nuncupavit;
Contra talem potum
  Nullum est periculum.

Felix guttur, quod rigabis,
Felix venter quem intrabis
Felix est, quem satiabis,
  O beata labia!

O quam placens in colore,
O quam fragrans in odore,
O quam sapidum in ore,
  Dulce linguae vinculum!

Ergo vinum collaudemus,
Potatores exaltemus
Non-potentes confundemus
Ad inferni palatia.

7) Potatores exquisiti. — Die edlere Tafelrunde.

Potatores exquisiti,
Licet sitis sine siti,
Et scyphorum inobliti
Jam bibatis expediti,
Scyphi crebro repetiti
  Non dormiant,
Et sermones inauditi
  Prosiliant.

Qui potare non potestis,
Ite procul ab his festis,
Non est locus hic modestis;
Devitatur plus quam pestis
Inter laetos mos agrestis
  Modestiae,
Et est suae certus testis
  Ignaviae.

Si quis latitat hic forte,
Qui non curat vinum forte,
Ostendantur illi portae, —
Exeat ab hac cohorte:
Plus est nobis gravis morte,
  Si maneat,
Si recedat a consorte,
  Tunc pereat.

Cum contingat te praestare,
Ita bibas absque pare,
Ut non possis pede stare,
Neque recta verba dare;
Sed sit tibi salutare
  Potissimum
Semper vas evacuare
  Quam maximum.

8) Vinum sit purum. — Nur guter Stoff.

Dea Deo non jungatur,
Deam Deus aspernatur,
Nam qui Liber appellatur,
Libertate gloriatur,
Virtus ejus adnullatur
  In poculis,
Et vinum debilitatur
  In copulis.

Cum regina sit in mari
Dea potest appellari,
Sed indigna tanto pari,
Quem praesumat osculari.
Numquam Bacchus adaquari
  Se voluit,
Nec se Liber baptizari
  Sustinuit.

9) Vini virtutes. — Was guter Stoff vermag.

Tu das, Bacche, loqui, tu comprimis ora loquacis,
Ditas, deditas, tristia laeta facis.

Concilias hostes, tu rumpis foedera pacis,
Et qui nulla sciunt omnia scire facis.

Multis clausa seris tibi panditur archa tenacis,
Tu das, ut detur, nil dare posse facis.

Das caeco visum, das claudo crura salacis,
Crederis esse deus, haec quia cuncta facis.

10) Canticum potatorium. — Kneiplied.

Ergo bibamus, —
Ne sitiamus,
Vas repleamus.

Quisque suorum
Posteriorum
Sive priorum

Sit sine cura,
Morte futura
Reperitura.

11) In laudem Bacchi. — Kneiplied.

Bacche, bene venies
  Gratus et optatus,
Per quem noster animus
  Fit laetificatus.
    Istud vinum, bonum vinum.
    Vinum generosum,
    Reddit virum curialem,
    Probum, animosum.

Iste scyphus concavus
  Bono mero profluus, —
Si quis bibit saepius,
  Satur fit et ebrius.
    Istud vinum etc.

Ex hoc scypho conscii
  Bibent sui domini,
Bibent sui socii
  Bibent et amici.
    Istud vinum etc.

Bacchus lenis leniens
Curas et dolores
Confert jocum, gaudia,
Risus et amores.
Istud vinum etc.

Bacchus saepe visitans
Mulierum genus
Facit eas sùbditas
Tibi, o tu Venus.
Istud vinum etc.

Bacchus venas penetrans
Calido liquore
Facit eas igneas
Veneris ardore.
Istud vinum etc.

Bacchus forte superans
Pectora virorum
In amorem concitat
Animos eorum.
Istud vinum etc.

Bacchus mentem feminae
Solet hic lenire,
Cogit eam citius
Viro consentire.
Istud vinum etc.

Aqua prorsus coitum
Nequit impetrare,
Bacchus illam facile
Solet expugnare.
Istud vinum etc.

Bacchus, numen faciens
Hominem jocundum,
Reddit eum pariter
Doctum et facundum.
Istud vinum etc.

Bacchus, Deus inclyte,
Omnes hic astantes
Laeti sumus munera
Tua praelibantes.
Istud vinum etc.

Omnes tibi canimus
  Maxima praeconia,
Te laudantes merito
  Tempora per omnia.
    Istud vinum etc.

12) Sunt multae causae bibendi. — Viele Gründe giebts fürs Trinken.

In taberna quando sumus,
Non curamus quid sit humus,
Sed ad ludum properamus,
Cui semper insudamus.
Quid agatur in taberna,
Ubi nummus est pincerna,
Hoc est opus ut quaeratur:
Si quid loquar, audiatur.

Quidam ludunt, quidam bibunt,
Quidam indiscrete vivunt;
Sed in ludo qui morantur,
Ex his quidam denudantur,
Quidam ibi vestiuntur
Quidam saccis induuntur, —
Ibi nullus timet mortem,
Sed pro Baccho mittunt sortem:

Primo pro nummata vini.
Ex hac bibunt libertini:
Semel bibunt pro captivis.
Post haec bibunt *ter* pro vivis,
Quater pro christianis cunctis,
Quinquies pro fidelibus defunctis,
Sexies pro sororibus vanis,
Septies pro militibus silvanis.

Octies pro fratribus perversis,
Novies pro monachis dispersis,
Decies pro navigantibus,
Undecies pro discordantibus,
Duodecies pro poenitentibus,
Tredecies pro iter agentibus.
Tam pro papa tam pro rege
Bibunt omnes sine lege.

Bibit hera, bibit herus,
Bibit miles, bibit clerus,
Bibit ille, bibit illa,
Bibit servus cum ancilla,
Bibit velox, bibit piger,
Bibit albus, bibit niger,
Bibit constans, bibit vagus,
Bibit rudis, bibit magus.

Bibit pauper et aegrotus
Bibit exul et ignotus,
Bibit puer, bibit canus,
Bibit praesul et decanus,
Bibit soror, bibit frater,
Bibit anus, bibit mater,
Bibit iste, bibit ille,
Bibunt centum, bibunt mille.

13) Meum est propositum. — Des Zechers Bestimmung.

Mel.: Ich will einst bei Ja und Nein etc.
Commersbuch p. 213.

Meum est propositum
In taberna mori
Et vinum appositum
Sitienti ori,
Ut dicant, cum venerint,
Angelorum chori,
Deus sit propicius
Isti potatori.

Potatores singuli
Sunt omnes benigni,
Tam senes quam juvenes;
In aeterna igni
Cruciantur rustici,
Qui non sunt tam digni
Qui bibisse noverint
Bonum vinum vini.

Vinum super omnia
  Bonum diligamus,
Nam purgantur vissia,
  Dum vinum potamus;
Cum nobis sit copia,
  Vinum dum clamamus,
Qui vivis in gloria
  Te Deum laudamus.

Fertur in convivium
  Vinus, vina, vinum,
Masculinum duplicet
  Atque foemininum,
Sed in neutro genere
  Vinum est divinum,
Loqui facit socios
  Optimum latinum.

Magis quam ecclesiam
  Diligo tabernam,
Ipsam nullo tempore
  Sprevi neque spernam,
Donec sanctos angelos
  Venientes cernam,
Cantantes pro ebriis
Requiem aeternam.

14) Plenus venter. — Leiblied.

Alte clamat Epicurus:
Venter satur est securus, —
  Venter deus meus erit,
  Talem deum gula quaerit,
Cujus templum est coquina,
In qua redolent divina.

Ecce, deus opportunus,
Nullo tempore jejunus,
  Cujus mensa et cratera
  Sunt beatitudo vera,
Ante cibum mutatinum
Ebrius eructat vinum.

Cutis ejus semper plena,
Velut uter et lagena,
  Jungit prandium cum coena,
  Unde pinguis rubet gena;
Et si quando surgit vena
Fortior est quam catena.

Sic religionis cultus
In Venere movet tumultus,
  Rugit venter in agone,
  Vinum pugnat cum medone —
Vita felix, otiosa,
Circa ventrem operosa.

Venter inquit: „Nihil curo
Praeter me, sic me procuro,
  Ut in pace in id ipsum
  Molliter gerens me ipsum
Super potum, super escam
Dormiam et requiescam.“

15) Conflictus vini et aquae. — Wein oder Wasser?

Mel. Prinz Eugen, der edle Ritter
Commersbuch p. 367,
oder: *Schön ist's unterm freien Himmel*
Commersbuch p. 81.

Denudata veritate
Succinctaque brevitate,
  Ratione varia
Dico, quod non copulari
Debent, immo separari
  Quae sunt adversaria.

Cum in scypho reponuntur
Vinum, aqua conjunguntur,
  Talium coniunctio
Non est bona, nec laudari
Debet, immo nuncupari
  Melius confusio.

Vinum sentit aquam secum,
Dolens inquit: „Quis te mecum
Ausus est conjungere?
Surge, exi, vade foras,
Nec eodem loco moras
Mecum debes facere.

„Vilis et inverecunda
Rimas quaeris, ut immunda
Mundi loca subeas;
Super terram debes teri
Et cum terra commisceri,
Ut in lutum transeas.

„Mensa per te non ornatur,
Nullus homo fabulatur,
In tui praesentia,
Sed qui prius est jocundus,
Ridens, verboque facundus
Non rumpit silentia.

„Cum quis de te forte potat,
Si sit sanus, tunc aegrotat:
Conturbas praecordia,
Tonat venter, surgit ventus,
Qui inclusus, non ademptus
Multa dat supplicia.

„Sed cum ventus est inflatus,
Tunc diversos reddit flatus
Ex utroque gutture,
Et cum ita dispensatur
Venter, aer perturbatur
A corrupto munere."

Aqua contra surgit ita:
„Turpis jacet tua vita
In magna miseria.
Qui sunt tui potatores,
Vitam perdunt atque mores
Tendentes ad vitia.

„Tu scis linguas impedire,
Titubando solet ire
Tua sumens basia,
Verba recte non discernens
Centum putat esse cernens
Duo luminaria.

„Et qui tuus est amator,
Homicida, fornicator,
Davus, Geta, Birria:
Tales tibi famulantur,
Tales de te gloriantur
Tabernali curia.

„Propter tuam pravitatem
Nullam habes libertatem;
  Domos tenes parvulas,
Sed ego magna sum in mundo,
Dissoluto me diffundo
  Per terrae particulas:

„Potum dono sitienti
Ad salutem me quaerenti
  Valde necessariam."

16) Actio vini et aquae. — Eine Vision.

Mel.: Dulce cum sodalibus.
Commersbuch p. 178.

Cum tenerent omnia
Medium tumultum,
Post diversas epulas
Et post vinum multum,
Postquam voluptatibus
Ventris est indultum,
Me liquerunt socii
Vino jam sepultum.

Et ego in spiritu,
Non in carne gravi,
Raptus sum et tertium
Coelum penetravi,
Ubi sacratissima
Quaedam auscultavi,
Quae post in concilio
Fratrum reseravi.

Dum sederet equidem
  In excelsis Deus,
Et coepisset spiritus
  Trepidare meus,
Ecce in judicio
  Thetis et Lyaeus.
Intrant et alteruter
  Actor est et reus.

Thetis in exordio
  Multum gloriatur
Dicens: „Mihi merito
  Laus et honor datur.
Cum sim ex qua machina
  Mundi firmabatur
Et super me spiritus
  Dei ferebatur."

Bacchus ad haec incipit
  Talia referre:
„Mos est prius vilia,
  Cara post conferre:
Sic et Deus voluit
  Te prius conferre,
Et me post, ut biberent
  Peccatores terrae."

Th. „Meum decus admodum
Deus ampliavit,
Quando me te puteo
Potum postulavit:
De torrente siquidem
Attestante David
Bibit et propterea
Caput exaltavit."

B. „Cum in vite Dominus
Fructum dedit istum,
Uvae nil aquaticum
Fecit intermixtum;
Ergo qui potaverint
Vinum aqua mixtum,
Sunt adversus Domini
Vel adversus Christum."

Th. „Me contentus respuit
Nazarenus vina,
Cum in me sit posita
Vitae medicina,
Quod ex evangelica
Patet disciplina,
Cum sanaret angelus
Aegros in piscina."

B. „Tandem si te jugiter
Lambat Nazaraeus,
Quam tamen salutifer
Sit effectus meus,
Patet, cum apostolus
Docet atque Deus,
Ut me propter stomachum
Bibat Thimotheus."

Th. „Medicinae Naaman
Liquerunt humanae,
Nec prodesse poterunt
Cuti male sanae,
Sed voces propheticae
Non fuerunt vanae,
Postquam fuit septies
Lotus in Jordane."

B. „Caesus a latronibus
Ierosolymita,
Visus a presbytero,
Visus a levita,
Incuratus forsitan
Extitisset ita,
Ni fuissent vulnera
Vino delinita."

Th. „Cum tu causa fueris
Intemperiei,
Ego sum apposita
Tuae rabiei;
Quia, sicut legitur,
Aquae non Lyaei
Impetus laetificat
Civitatem Dei.“

B. „Tu tanquam vilissima
Funderis in planum,
Ego, velut nobile,
Mittor in arcanum;
Te potat in montibus
Pecus rusticanum,
Sed meus laetificat
Potus cor humanum.“

Th. „Fructum temperaneum
Reddit excolenti
Lignum quod est proximum
Aquae defluenti;
Profert fructus segetis
Longe venienti,
Prodest aqua frigida
Viro sitienti.“

B. „Satis contemptibilis
Et satis egena,
Si qua forte sumitur
Sine vino coena:
Non exterret homines
Paupertatis poena,
Cum me promptuaria
Sint eorum plena."

Th. „Primam partem fidei
Ego reseravi,
Quando Dei filium
In Jordane lavi;
Et figuras veteris
Legis consummavi,
Cum de suo latere
Foras emanavi."

B. „Ad baptismi gratiam
Venit per me reus;
Per me multos homines
Jungit sibi Deus;
Nec fuit, ut legitur,
Aqua, sed Lyaeus,
De quo dixit Dominus:
Hic est sanguis meus."

Th. „Ego pulchritudinis,
Ego claritatis
Mater sum, et omnibus
Offero me gratis;
Ego pratis aufero
Pestem siccitatis,
Desuper cum intonat
Deus majestatis.“

B. „Quantumcumque sapidus,
Quantum quoque carus,
Sine vino traditus
Cibus est amarus;
Tuo gaudet poculo
Pauper et avarus,
Sed calix inebrians
O quam sum praeclarus!“

Th. „Ego flammas tempero
Solis in pruinis,
Potum do volucribus,
Opem molendinis,
Et mundum circueo
Fluctibus marinis,
Ubi sunt reptilia
Quorum non est finis.“

B. „Ego de palmitibus
In torcular ivi,
Et exinde vegetans
Ventrem introivi,
Vasculorum genera
Multa pertransivi,
Et in potatoribus
Requiem quaesivi.“

Th. „Ratio confunditur
Oculi caecantur
Iis, qui tuis potibus
Nimis immorantur;
Blande dum ingrederis,
Extra mordicantur,
Et velut a reguli
Morsu venenantur.“

B. „Potus tuus pestiver,
Potus est mutatus,
Cum fuit ad nuptias
Jesus invitatus.“

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Th. „Per te Noe femora
Dormit denudatus,
Unde maledicitur
Irridendo natus;
Per te mundo prodiit
Partus infamatus,
Cum fuit in montibus
Loth inebriatus."

B. „Tu deceptrix omnium,
Quibus, dum te praestas
Placidam, post fluctibus
Subditis infestas;
Rogat super alias
David res honestas:
Ne demergat, inquiens,
Aquae me tempestas!"

Th. „Prohibetur homini
Pauli disciplinâ
Vinum, ut luxuriae
Turpis officina;
Nulla virtus colitur,
Ubi regnant vina,
Quibus lege trahitur
Prudens a divina."

B. „Vinum cum luxuria
Tibi coaptatur,
Cum incesto filio
Jacob imprecatur,
Qui fusus ut aqueus
Liquor increpatur,
Dum per eum patruus
Thorus maculatur."

Th. „Ego sapientiae
Sum assimilata,
Cujus alma pectora
Fonte sum potata,
Qua quae semel fuerint
Corda foecundata,
Non affliget amplius
Sitis iterata."

B. „Sponsus sponsae numerans
Singula decora,
Ut amborum osculo
Conjugantur ora,
Vinum super alia
Bona potiora
Ponit quae sunt vilia
Ad sponsae meliora."

Th. „Ad coelestis speciem
Ego Trinitatis
Una sum de testibus
Terrae commendatis,
Unde fons exprimitur
Per me caritatis,
In vitam exiliens
Sempiternitatis.“

B. „Perquam dies gratiae
Gentibus illuxit,
Quum ex vinis vineam
Sponsam sibi duxit,
Sponsus in vinariam
Cellam introduxit
Ubi quo sit ordine
Caritas instruxit.“

Th. „Dextro templi latere
Meus est egressus;
Per me culpae luitur
Si quis est excessus,
Actus elemosinae
Mystice concessus
Est mihi, quo criminum
Ignis est oppressus.“

B. „Virtus per te siquidem
Vitae figuratur,
Sic per me compunctio
Cordis designatur,
Quod Deo virgineus
Pudor geminatur,
Cum reus conteritur
Et justificatur."

Th. „Si qui falsos hactenus
Coluerunt deos,
Si renasci faciunt
Se per fontes meos,
Rex in coelo respicit
Et absolvit eos,
Nec qui coelos habitat
Irridebat eos."

B. „Ex vino praedicitur
Hostia reorum,
In vino diluitur
Stola beatorum,
Vinum Jacob additur
Pro summa bonorum,
Vinum tandem bibitur
In regno coelorum."

Th. „Laudem meam placite,
Quisquis intuetur,
Calix aquae frigidae,
Penset, quid meretur
Super coelos legitur,
Vinum, ergo detur,
Quod ex vini meritis
Nusquam superetur."

B. „Vitis non deseruit
Vinum, ut regnaret,
Vinum hic praeposuit
Qui non commutaret,
Vinum sponsus miscuit,
Cum sponsa praeparet,
Aquam venter respuit,
Calix fractus probaret."

Th. „Israel cum duceret
Se compendiose
Servitutis vinculo
Contumeliosae,
Separavit Dominus
Me miraculose,
Ut cantarent canticum
Deo gloriose."

B. „Vini, vir, miraculum
  Noli obaudire,
Securos et nobiles
  Reddit suos mire:
Mutis eloquentiam,
  Contractis salire
Dat, et inter verbera
  Facit non sentire.

Si quis causa qualibet
  Cessat a Lyaeo,
Non resultat canticum
  Neque laus ab eo;
Si refectus fuerit
  Tandem potu meo,
Tunc decantat: Gloriam
  In excelsis Deo."

Ad hanc vocem avibus
  Ecce concitatis,
Quasi rationibus
  Vini comprobatis,
Inclamatur fortius
  Vocibus elatis:
In terra pax hom(i)nibus
  Bonae voluntatis.

Quorum ecce vocibus
  Tandem post examen
Excitatus extuli
  Somnii velamen,
Et laudavi consonans
  Patrem, natum, flamen,
Terminans in gloria
  Dei patris. — Amen.

III.

Carmina amatoria.

17) Juventuti est amare. — Jugend und Liebe.

Ommittamus studia,
  Dulce est desipere,
Et carpamus dulcia
  Juventutis tenerae.
Velox aetas praeterit
  Studio detenta,
Lascivire suggerit
  Tenera juventa.

Ver aetatis labitur,
  Hiems nostra properat,
Vita damnum patitur,
  Cura carnem macerat,
Sanguis aret, hebet pectus,
  Minuuntur gaudia,
Nos deterret jam senectus,
  Morborum familia.

Imitemur superos!
  Digna est sententia,
Et amoris teneros
  Jam venantur otia ;
Voto nostro serviamus,
  Mos iste est juvenum,
Ad plateas descendamus
  Et choreas virginum.

Ibi quae fit facilis
  Est videndi copia,
Ibi fulget mobilis
  Membrorum lascivia,
Dum puellae se movendo
  Gestibus lasciviunt,
Adsto videns et videndo
  Me mihi surripiunt.

18) Caecilia. — Meine Liebe.

Ludo cum Caecilia,
Nihil timeatis;
Sum quasi in custodia
Fragilis aetatis,
Ne marcescant lilia
Suae castitatis.

Tantum volo ludere,
Tantum contemplari,
Praesens volo tangere,
Tandem osculari,
Quintum, quod est agere,
Nolo suspicari.

Non est florem tangere,
Non est res secura;
Uvam sino crescere,
Donec sit matura,
Spes me facit crescere
Laetum reversura.

Gratus super omnia
  Ludus est puellae
Et ejus praecordia
  Omni carent felle.
Sunt quae praestat basia
  Dulciora melle.

Amor trahit superos
  Mollidri nexu,
Rigidos et asperos
  Duro frangit flexu;
Capitur rhinoceros
  Virginis amplexu.

Amor trahit superos,
  Jovem amat Juno,
Motus praebens aetheris
  Imperat Neptuno,
Pluto premens inferos
  Mitis est hoc uno.

Ludo cum virginibus,
  Horreo corruptas,
Et cum meretricibus
  Simul odi nuptas:
Nam in istis talibus
  Turpis est voluptas.

Quidquid agant alii,
Ergo nos ludamus,
Et quem decet fieri
Ludum faciamus,
Ambo sumus teneri,
Tenere ludamus.

Jove cum Mercurio
Geminos tenente
Et a libra Venere
Martem expellente
Nata est Caecilia
Tauro jam latente.

Natus ego pariter
Sub eisdem signis,
Par pari conjunctus sum
Legibus benignis,
Parem pari ignibus
Par accendit ignis.

Si valeret Zephyrus
Ista contemplari,
Aurora Tyndaridem
Velles imitari;
Satis quinque cederent
Huic exemplari.

Si futuram cerneret,
Cum beor amicam,
Non dotata fronesis
Cederent lecticam,
Si illam quaerens conjugem
Relinquo antiquam.

Solus solam diligo,
Sic me sola solum,
Non est cui liceat
Immiscere dolum,
Non in vanum variant
Nostra signa polum.

Objicit: Ab alio
Forsitan amatur,
Et quae semel dixerim
Ita revelatur;
Sed ut dictum valeat,
Mox determinatur.

Est hoc verbum *diligo*
Verbum transitivum,
Nec est per quod transeat,
Nisi per passivum:
Ergo cum nil patitur,
Nil valet activum.

Qui vult scire diem hanc,
  Haec est major strena,
In qua virgo passa est,
  O quam dulcis poena,
His ad praesens pluribus
  Gaudeat haec coena.

19) Amantis dolor. — Eins oder das Andere.

Sol solis in stellifero
Stellas excedit radio,
Sic unica quam diligo
Mihi placet et populo.
  Vos igitur, o socii
  Nunc militetis Veneri.

Quaecunque est quam diligo,
Quam super omnes eligo,
De qua frequenter cogito,
Mihi respondet merito.
  Vos igitur etc.

Aspectus ejus liliis
Rosa genis est similis,
Os dulce, latus gracile,
Longitudinis modicae.
  Vos igitur etc.

O si forem Mercurius,
Philologiae sedulus,
Et si sit in compedibus,
Sibi jungerer clericus.
 Vos igitur etc.

Quid? illud possum dicere,
Nos si (qui) velint impetere,
Festina moram rumpere,
Fac mori vel fac vivere.
 Vos igitur etc.

20) Te solam amabo, ni fallor. — Die einzige Liebe.

Lingua mendax et dolosa
Lingua procax venenosa,
Lingua digna detruncari,
Et in igne concremari.

Quae me dicit deceptorem
Et non fidum amatorem,
Quam amabam dimisisse,
Et ad alteram transisse.

Unde juro musas novem,
Quodque majus est, per Jovem,
Qui pro Danae sumsit auri
Pro Europa formam tauri.

Sciat deus, sciant dei,
Non sum reus hujus rei,
Sciant dii, sciat deus,
Hujus rei non sum reus.

Juro Phoebum, juro Martem,
Qui amoris sciunt artem,
  Juro quoque te, Cupido,
  Arcum cujus reformido.

Arcum juro cum sagittis,
Quas frequenter in me mittis,
  Sine fraude, sine dolo,
  Foedus hoc servare volo.

Volo foedus observare,
Et ad haec dicemus, quare:
  Inter choros puellarum
  Nihil vidi tam praeclarum.

Inter quas appares ita,
Ut in auro margarita,
  Humeri, pectus et venter
  Sunt formata tam decenter.

Frons et gula, labra, mentum
Dant amoris alimentum;
  Crines ejus adamavi
  Quoniam fuere flavi.

Ergo dum nox erit dies,
Et dum labor erit quies,
  Et dum silva sine lignis,
  Et dum aqua erit ignis,

Et dum mare sine velis,
Et dum Parthus sine telis,
  Cara mihi semper eris,
  Nisi fallor, non falleris.

IV.

Scholarium ratio. — Wie sie's treiben.

21) Confessio Goliardi. — Zur Abwendung des Consiliums.

Mel.: Dulce cum sodalibus.
Commersbuch p. 178.

Aestuans interius
Ira vehementi
In amaritudine
Loquar meae mentis:
Factus de materia,
Cinis elementi,
Similis sum folio,
De quo ludunt venti.

Cum sit enim proprium
Viro sapienti
Supra petram ponere
Sedem fundamenti,
Stultus ego comparor
Fluvio labenti,
Sub eodem tramite
Nunquam permanenti.

Feror ego veluti
Sine nauta navis,
Ut per vias aëris
Vaga fertur avis;
Non me tenent vincula,
Non me tenet clavis,
Quaero mihi similes
Et adjungor pravis.

Mihi cordis gravitas
Res videtur gravis;
Jocus est amabilis
Dulciorque favis;
Quidquid Venus imperat
Labor est suavis,
Quae numquam in cordibus
Habitat ignavis.

Via lata gradior
More juventutis,
Implicor et vitiis
Immemor virtutis,
Voluptatis avidus
Magis quam salutis,
Mortuus in anima
Curam gero cutis.

Praesul discretissime,
Veniam te praecor:
Morte bona morior,
Nece dulci necor;
Meum pectus sauciat
Puellarum decor,
Et quas tactu nequeo
Saltem corde moechor.

Res est arduissima
Vincere naturam,
In aspectu virginis
Mentem esse puram;
Juvenes non possumus
Legem sequi duram,
Juvenumque corporum
Non habere curam.

Quis in igne positus
Igne non uratur?
Quis Papiae demorans
Castus habeatur,
Ubi Venus digito
Juvenes venatur,
Oculis illaqueat,
Facie praedatur?

Si feras Hippolytum
  Hodie Papiae,
Non erit Hippolytus
  In sequenti die.
Veneris ad thalamum
  Omnes currunt viae,
Non est in tot turribus
  Turris Galatiae.

Secundo redarguor
  Etiam de ludo,
Sed cum ludus corpore
  Me dimittat nudo,
Frigidus exterius
  Mentis aestu sudo,
Tunc versus et carmina
  Meliora cudo.

Tertio capitulo
  Memoro tabernam.
Illam nullo tempore
  Sprevi, neque spernam,
Donec sanctos angelos
  Venientes cernam,
Cantantes pro mortuis
  Requiem aeternam.

Meum est propositum
  In taberna mori;
Ubi vina proxima
  Morientis ori:
Tunc cantabunt laetius
  Angelorum chori:
„Deus sit propitius
  Isti potatori."

Poculis accenditur
  Animi lucerna,
Cor imbutum nectare
  Volat ad superna.
Mihi sapit dulcius
  Vinum de taberna,
Quam quod aqua miscuit
  Praesulis pincerna.

Loca vitant publica
  Quidam poetarum.
Et secretas eligunt
  Sedes latebrarum;
Student, instant, vigilant,
  Nec laborant parum,
Et vix inde reddere
  Possunt opus clarum.

Jejunant et abstinent
  Poetarum chori,
Vitant rixas publicas
  Et tumultus fori,
Et, ut opus faciant
  Quod non possit mori,
Moriuntur studio
  Subditi labori.

Tales versus facio,
  Quale vinum bibo;
Nihil possum facere,
  Nisi sumpto cibo;
Nihil valent penitus
  Quae jejunus scribo —
Nasonem post calicem
  Carmine praeibo.

Mihi numquam spiritus
  Poetriae datur,
Nisi prius fuerit
  Venter bene satur,
Cum in arce cerebri
  Bacchus dominatur,
In me Phoebus irruit
  Et miranda fatur.

Unicuique proprium
  Dat natura munus:
Ego numquam potui
  Scribere jejunus;
Me jejunum vincere
  Posset puer unus,
Sitim et jejunium
  Odi tamquam funus.

Unicuique proprium
  Dat natura donum:
Ego versus faciens
  Bibo vinum bonum.
Et quod habent purius
  Dolia cauponum;
Tale vinum generat
  Copiam sermonum.

Ecce, meae proditor
  Pravitatis fui,
De qua me redarguunt
  Servientes tui,
Sed eorum nullius
  Accusator fui,
Quamvis velint ludere
  Saeculoque frui.

Jam nunc in praesentia
Praesulis beati
Secundum dominici
Regulam mandati
Mittat in me lapidem,
Neque parcat vati
Cuius non sit animus
Conscius peccati.

Sum locutus contra me
Quidquid de me novi,
Et virus evomui
Quod tam diu fovi;
Vita vetus displicet,
Mores placent novi, —
Homo videt faciem
Corda patent Jovi.

Jam virtutes diligo,
Vitiis irascor,
Renovatus animo
Spiritu renascor,
Quasi modo genitus
Lacte novo pascor,
Ne sit mihi amplius
Vanitatis vas cor.

Electe Coloniae,
  Parce confitenti
Fac misericordiam
  Veniam petenti,
Et da poenitentiam
  Culpae poenitenti.
Feram quidquid jusseris
  Animo libenti.

Parcit enim subditis
  Leo, rex ferarum,
Et est erga subditos
  Immemor irarum,
Et vos idem facite
  Principes terrarum:
Quod caret dulcedine
  Nimis est amarum.

Cum sit fama multiplex
  De te divulgata,
Veritati consonent
  Omnia prolata;
Colorare stultum est
  Bene colorata,
Et non decet aliquem
  Serere jam sata.

Raptus ergo specie
  Famae decurrentis
Veni non immodicum
  Verba dare ventis,
Sed, ut rorem gratiae
  Dem profunde mentis, —
Praecepit sed dominus
  Trahat offerentis.

Vide, si complaceat
  Tibi me tenere;
In scribendis litteris
  Certus sum valere;
Et si forsan accidat
  Opus imminere,
Vices in dictamine
  Potero supplere.

Hoc si recusaveris,
  Audi quod attendas:
Paupertatis oneri
  Pie condescendas,
Et ad poenas hominis
  Hujus depellendas
Curam aliquatenus
  Muneris impendas.

Pater mi, tam sub brevi
 Multa comprehendi,
Quia doctis decens est
 Modus hic loquendi,
Et, ut prorsus resecem
 Notam applaudendi,
Non in verbo longius
 Placuit protendi.

22) O, ars dialectica. — Des Studentenlebens Feindin.

A. „Heus frater adjuva,
Quia mors est proxima,
Si concedis, crastinum
Faciam me monachum.

Festina succurrere,
Jam me vult invadere.
Dona, frater, spatium,
Da mihi consilium."

B. „O mi delectissime,
Quidam cupis agere?
Secus tibi consule,
Noli me relinquere."

A. „Tua, frater, pietas
Movet mihi lacrimas,
Quia eris orphanus,
Postquam ero monachus."

B. „Ergo mane paululum,
Saltem post hoc triduum,
Forsan hoc periculum
Non erit mortiferum."

A. „Tanta est angustia,
Quae currit per viscera,
Quod est mihi dubia
Vita quoque crastina."

B. „Monachalis regula
Non est mihi cognita
Jejunant quotidie,
Vigilant assidue."

A. „Qui pro Deo vigilant,
Coronari postulant,
Qui pro Deo esurit,
Satiari exigit."

B. „Dura donat .pabula,
Fabas ac legumina,
Post tale convivium
Potum aquae modicum."

A. „Quid prosunt convivia,
Quidve dionysia,
Ubi et pro dapibus
Caro datur vermibus?"

B. „Vel parentum gemitus
Moveat te penitus,
Qui te plangunt monachum
Velut hac vita mortuum."

A. „Qui parentes diligit
Atque Deum negligit,
Reus inde fuerit
Quando judex venerit."

B. „O ars dialectica,
Numquam esses cognita,
Quae tot facis clericos
Exules ac miseros.

Numquam magis videbis
Quem tu tantum diligis.
Diligis illum clericum
Parvum et pulcherrimum."

A. „Heu mihi miserrimo
Quid faciam jam nescio,
Longo in exilio
Sum sine consilio.

Parce, frater, floribus,
Forsitan fit melius,
Jam mutatur animus,
Nondum ero monachus.“

23) Epistola stipendiaria. — Formular für Stipendiennachsuchung.

Exul ego clericus
  Ad laborem natus
Tribulor multociens,
  Paupertati datus.

Litterarum studiis
  Vellem insudare,
Nisi quod inopia
  Cogit me cessare.

Ille meus tenuis
  Nimis est amictus,
Saepe frigus patior
  Calore relictus.

Interesse laudibus
  Non possum divinis,
Nec missae nec vesperae,
  Dum cantetur finis.

Decus N . . . . ,
  Dum sitis insigne,
Postulo suffragia
  De vobis jam digne.

Ergo mentam capite
  Similem Martini,
Vestibus induite
  Corpus peregrini,

Ut vos Deus transferat
  Ad regna polorum,
Ibi dona conferat
  Vobis beatorum.

24) Epistola Litterarum studiosi Parisiensis. — An die liebe Mutter.

Rivulus hoc fonti delegat, virgula trunco:
  Mater, amans filius hoc tibi mittit ave.
Quae non compatitur, quae non succurrit egenti
  Nato, praesumit degenerare parens.
Me tua Parisios pietas legavit ut eam,
  Ingenium studii fructificaret ope.
Pollicitum geminare soles, mihi plurima spondes
  Munera: pollicitum fallit avara manus.
Indigeo, me pauperies premit anxia, nummi
  Desunt, esuriens aere crumena vacat.
Heu careo libris, quia sumptus prodiga nostrum
  Hausit marsupium parisiensis humus.
Pauperies studio comes adversatur, egere
  Compellor, pretium medae crumenam premit —
Plurima constringunt me debita, cuncta tenentur
  Pignora: sic careo vestibus, aere, libris.
Pauperies studium cogit languescere, nutat
  Propositum, cessant carmina, pendet opus.

Cogit pauperies me mendicare, coactus
  Discedo studiis, cogit amara fames.
Hinc studium placet, inde lucrum; penuria victus,
  Heu, studium nostrum fructificare negat.
Me circumveniunt quam plurima debita, perstat
  Creditor, exigitur faenus, amicus abest.
Degenerat maternus amor, materna laborat
  Gratia, maternae nil pietatis habens.
Heu, tepet in sobolem pietas materna, prioris
  Denigrant famae ultima facta decus.
Heu, pietas materna jacet, descire laboras
  Matrem, materni fructus amoris obit.
Depereat male firmus amor, qui nutrit amicos
  Praesens, absentis gratia fracta perit.
Cur periit materna fides? cur languet amoris
  Legitimi genio degenerante status?
Me colit integritas fame; non scorta frequento,
  Non talos didicit concelebrare manus.
Sopitae pereat irae tumor, indue matrem.
  Esse stude mater, esse noverca nega.
Subsidium praesta, redimas vadimonia mater,
  Me refove, tristem laetificare stude.
Sum quasi truncus egens, libris vacata crumena
  Propositum reprimit anxietate famis.
Offendit studium penuria saeva, scolares
  Pauperies reprimit perniciosa comes.

Doctores inhiant manibus, collecta magistri
Exigit. Heu, quid agam? Creditor omnis abest.
Nec quot habet coelum stellas, quot arena lapillos,
Nec mala quot patior dinumerare queo.
Ergo stude matrem redolere. Vocabula matris
Degenerant quae non testificatur opus.

25) Magnus major maximus. — Alles hat seine zwei und zwanzig Seiten.

Magnus, major, maximus,
Parvus, minor, minimus:
  Grados istos repperi;
  Per quos grados comperi
  Augeri et conteri
Gradus status hominis,
  Prout datur dignitas,
  Dignitatum quantitas
Quantitasque nominis.

Magni parvus exstiti —
Parvi magnus meriti;
  Parvaeque sunt gratiae
  Diviti contrariae:
  Cui plus datur hodie
Plus agit obnoxie,
  Quique minus habuit
  Et minus attribuit
Minus reddit gratiae.

Viri, fratres, praesules,
Rationis consules,
  Me non imitemini,
  Nec sic operemini
  Super gregem domini.
Pervigil sit animus,
  Sit lumen in manibus,
  Praesit custos renibus
Magnus, major, maximus.

26) Aetas mutat mores. — Umkehr.

Dum juventus floruit,
Licuit et libuit
Facere quod placuit:
Juxta voluntatem
Currere, peragere
Carnis voluptatem.

Amodo sic agere,
Vivere tam libere,
Talem vitam ducere
Viri vetat aetas,
Perimit et eximit
Leges assuetas.

Aetas illa monuit,
Docuit, consuluit
Sic et aetas annuit:
»Nihil est exclusum,
Omnia cum venia
Contulit ad usum«.

Volo resipiscere,
Linguere, corrigere
Quod commisi temere;
  Deinceps intendam
Seriis, pro vitiis
  Virtutes rependam.

27) Theologiae doctori. — Ermahnung

Vide qui nosti litteras
Et bene doces vivere,
Quid sit doctrina litterae,
De quo et ad quid referas.
Diligenter considera,
Si sis doctor, quid doceas,
Et quod doces, hoc teneas,
Ne tua perdant opera
Eternae vitae praemia.

Vide qui studium colis
Pro Dei ministerio,
Ne abutaris studio
Suspirans a dispendiis
Lucri, nec te participes
Jugalis vitae vitio;
Namque multos invenio
Qui sunt hujus participes
Ecclesiarum principes.

Vide qui Dei munere
  Revelas ejus gloriam
  Summi per Dei gratiam,
Ne te possit decipere
  Neque trudat in vitium
Philistaeus improvide
Clam te prodens te Dalidae,
  Ut non amittat meritum
  Deus suorum militum.

V.

Carmina lascivula. — Schäkereien.

28) Parentes saevi. — Ein andermal.

Aestivali sub fervore,
Quando cuncta sunt in flore,
Totus eram in ardore;
Sub olivae me decore
Aestu fessum et ardore
  Detinebat mora.

Erat arbor haec in prato,
Quovis flore picturato,
Herba, fonte, situ grato
Sed et umbra flatu dato:
Stilo non pinxisset Plato
  Loca gratiora.

Subest fons vivacis venae,
Adest cantus philomenae
Naiadumque cantilenae:
Paradisus hic est paene.
Non sunt loca, scio plene,
His jucundiora.

Hic dum placet delectari
Delectatque jucundari
Et ab aestu relevari,
Cerno forma singulari
Pastorellam sine pari
Colligentem mora.

In amorem visae cedo, —
Facit Venus hoc, ut credo:
»Ades«, inquam, »non sum praedo,
Nihil tollo, nihil laedo,
Me meaque tibi dedo,
Pulchrior quam Flora.«

Quae respondit verbo brevi:
»Ludos viri non assuevi.
Sunt parentes mihi saevi,
Mater longioris aevi
Irascetur pro re levi.
Parce nunc in hora.«

29) Alter Stilbon. — Leich.

Aestatis florigero tempore
Sub umbrosa residens arbore
Avibus canentibus in nemore,
Sibilante serotino frigore
Meae Thisbes adoptato
Fruebar eloquio
Colloquens de Veneris
Blandissimo commercio.
Ejus vultus, forma, cultus
Prae puellis, ut sol stellis,
Sic praelucet. O inducet
Hanc nostra ratio,
Ut dignetur suo
Nos beare consortio!
Nil enim restat sanctius
Quam caecam mentis flammam
Denudare diffusius:
Audaces fortuna juvat penitus —
His ergo sit introitus.

»Ignem caecum sub pectore
Longo depasco tempore,
Qui vires miro robore
Toto diffundit corpore.
Ignis quo crucior,
Immo quo glorior,
Ignis est invisibilis,
Quem tu sola percipere,
Si vis, potes exstinguere.
Si non extinguitur
A quo succenditur,
Manat inextinguibilis;
Est ergo tuo munere
Me mori vel me vivere,
Quae meum semivivere . . .
Felici ligans foedere.«

»Amoris spes est dubia,
Aut verax aut contraria;
Amanti necessaria
Virtus, scis, est *constantia*.
Ex ceteris virtutibus
Est tamen *patientia*
Amoris famulantia.
Sic et ignem, qui discurrit
Tua per praecordia,

Fac exstinguat alia.
Noster amor non fragilia
Amplexatur gaudia. —
Quid refert pro re pendula
Vitae pati pericula?
Est pater, est mater
Est frater qui quater
Die me pro te corripiunt,
Et vetulas per cellulas
Et juvenes per speculas
Deputantes nos custodiunt,
Argumque centioculum
Plus tremo quam patibulum.
Est ergo dignum
Virum benignum
Vitare signum,
Unde malignum
Murmur cursitet
Per populum«.

»Times in vanum,
Tam est arcanum,
Quod nec Vulcanum
Curo cum sophisticis catenis.
Stilbontis more
Letheo rore

Argum, sopore,
Premam oculis clausis centenis«.

»In trutina mentis dubia
Fluctuant contraria,
Lascivus amor et pudicitia.
Sed eligo quod video —
Collum jugo praebeo:
Ad jugum suave transeo.«

»Non bene dixeris
‚Jugum‘ secretum Veneris,
Quo nil liberius,
Nil dulcius,
Nil melius!
O quam dulcia
Sunt haec gaudia!
Veneris furta sunt pia.
Ergo propera
Ad haec munera:
Carent laude dona sera.«
»Dulcissime,
Totam tibi subdo me.«

30) Rosa aperta. — Endliche Heilung.

In virgultu florido
  Stabam et amoeno
Vertens haec in pectore,
  Quid facturus ero;
Dubito, quod semina
  In arena sero:
Mundi florem diligens
  Ecce jam despero.

Si despero merito,
  Nullus admiretur:
Nam per quandam vetulam
  Rosa prohibetur,
Ut non amet aliquem
  Atque non ametur —
Quam Pluto subripere,
  Flagito, dignetur.

Cumque meo animo
  Verterem praedicta
Optans, anum raperet
  Fulminis sagitta:

Ecce retrospiciens
  Vetula relicta
Audias quid viderim,
  Dum moraret icta.

Vidi florem floridum,
  Vidi florum florem,
Vidi rosam madii
  Cunctis pulchriorem,
Vidi stellam splendidam
  Cunctis clariorem,
Per quam ego degeram
  Semper in amorem.

Cum vidissem itaque
  Quod semper optavi,
Tunc ineffabiliter
  Mecum exsultavi,
Surgensque velociter
  Ad hanc properavi
Hisque retro poplite
  Flexo salutavi:

»Ave formosissima,
  Gemma pretiosa,
Ave decus virginum,
  Virgo gloriosa,

Ave mundi lumina,
Ave mundi rosa,
Blancaflor et Helena,
Venus generosa.«

Tunc respondit inquiens
Stella matutina:
»Ille, qui terrestria
Regit et divina
Dans in herba violas
Et rosas in spina,
Tibi salus, gloria
Sit et medicina«.

Cui dixi: »Dulcissima,
Cor mihi fatetur,
Quod meus fert animus,
Ut per te salvetur;
Namque quondam didici,
Sicut perhibetur,
Quod ille, qui percutit
Melius medetur.«

»Mea sic laedentia
Jam fuisse tela
Dicis. Nego. Sed tamen
Posita querela

Vulnus atque vulneris
  Causas nunc revela;
Vis, te sanem postmodum
  Gracili medela.«

»Vulnera cur detegam,
  Quae sunt manifesta?
Aestas quinta periit,
  Properat en sexta,
Quod te in tripudia
  Quadam die festa
Vidi: cunctis speculum
  Eras et fenestra.

Cum vidissem itaque,
  Coepi tunc mirari
Dicens: ecce mulier
  Digna venerari;
Haec exscendit virgines
  Cunctas absque pari,
Haec est clara facie
  Haec est vultus clari.

Visus tuus splendidus
  Erat et amoenus,
Tamquam aër lucidus,
  Nitens et serenus.

Unde dixi saepius.
  Deus, Deus meus,
Estne illa Helena
  Vel est Dea Venus?

Aurea mirifice
  Coma dependebat,
Tamquam massa nivea
  Gula candescebat,
Pectus erat gracile
  Cunctis innuebat,
Quod super aromata
  Cuncta redolebat.

In jucunda facie
  Stellae radiabant,
Eboris materiam
  Dentes vendicabant,
Plus quam dicam speciem
  Membra geminabant:
Quidni si haec omnium
  Mentem alligabant?

Forma tua fulgida
  Tunc me catenavit,
Mihi mentem, animum
  Et cor immutavit.

Tibi loqui spiritus
  Illico speravit;
Posse spem verum tamen
  Numquam roboravit.

Ergo meus animus
  Recte vulneratur,
Ecce mihi graviter
  Fatum novercatur.
Quis umquam, quis aliquo
  Tantum molestatur,
Quam qui sperat aliquid
  Et spe defraudatur?

Telum semper pectore
  Clausum portitavi,
Millies et millies
  Inde suspiravi
Dicens: rerum conditor,
  Quid in te peccavi?
Omnium amantium
  Pondera portavi.

Fugit a me bibere,
  Cibus et dormire,
Medicinam nequeo
  Malis invenire.

Christe, non me desinas
  Taliter perire,
Sed dignare misero
  Digne subvenire.

Has et plures numero
  Pertuli jacturas,
Nec ullum solacium
  Minuit meas curas,
Ni quod saepe, saepius
  Per noctes obscuras
Per imaginarias
  Tecum sum figuras.

Rosa, videns igitur
  Quam sim vulneratus,
Quot et quantos tulerim
  Per te cruciatus,
Tu, si placet, itaque
  Fac, ut sim sanatus,
Per te sim incolumis
  Et vivificatus.

Quod quidem si feceris,
  In te gloriabor,
Tamquam cedrus Libani
  Florens exaltabor.

Sed si, quod non vereor,
  In te defraudabor
Patiar naufragium
  Et periclitabor.«

Inquit Rosa fulgida:
  »Multa supportasti,
Nec ignota penitus
  Mihi relevasti;
Sed quae per te tulerim
  Numquam somniasti:
Plura sunt quae sustuli
  Quam quae recitasti.

Sed omitto penitus
  Recitationem
Volens talem sumere
  Satisfactionem,
Quae praestabit gaudium
  Et sanationem,
Et medelam conferet
  Melle dulciorem.

Dicas ergo, juvenis,
  Quod in mente geris,
An argentum postulas,
  Per quod tu diteris,

Pretiosas lapides
  An quod tu preceris?
Nam, si esse poterit,
  Dabo quidquid quaeris.«

»Non est id quod postulo:
  Lapis nec argentum;
Immo praebes omnibus
  Majus nutrimentum
Dans impossibilibus
  Facilem eventum,
Et quod maestis gaudium
  Donat luculentum.«

»Quidquid velis, talia
  Nequeo praescire,
Tuis tamen precibus
  Opto consentire.
Ergo quicquid habeo
  Sedulus inquire,
Sumens id quod appetens
  Potes invenire.«

Quid plus? Collo virginis
  Brachia jactavi,
Mille dedi basia,
  Mille reportavi,

Atque saepe, saepius
  Dicens affirmavi:
»Certe, certe, illud est
  Id quod anhelavi.«

Quis ignorat amodo
  Cuncta quae sequuntur?
Dolor et suspiria
  Procul repelluntur,
Paradisi gaudia
  Nobis inducuntur
Cunctaeque deliciae
  Simul apponuntur.

Hic amplexus gaudium
  Est centumplicatum,
Hic meum et dominae
  Pullulat optatum;
Hic amantum bravium
  Est a me portatum,
Hic est meum igitur
  Nomen exaltatum.

31) Pleni loculi historia. — Zur Warnung.

Dum caupona verterem
 Vino debacchatus,
Secus templum Veneris
 Eram hospitatus;
Solus ibam prospere
 Vestibus ornatus,
Plenum ferens loculum
 Ad sinistrum latus.

Almi templi janua
 Servabatur plene,
Ingredi non poteram,
 Ut optatu bene.
Intus erat sonitus
 Dulcis cantilenae;
Estimabant plurimi:
 Hic essent Sirenae.

Cum custode januae
  Parum requievi.
Erat virgo nobilis,
  Pulchra, statu brevi,
Secundans colloquia
  In sermone levi.
Tandem desiderium
  Intrandi explevi.

In ingressu januae
  Sedere invitatus,
Ab hac pulchra virgine
  Sum interrogatus:
»Unde es, o juvenis,
  Dic, huc applicatus?«
Cui dixi; »Domina,
  Vestri comitatus.«

»Quae est causa, dicito,
  Huc tui adventus?
Qualis ad haec litora
  Appulit te ventus?«
Dixi: »Necessario
  Venio detentus.«
»Duxit te necessitas
  Et tua juventus?«

»Intus et exterius
Hasta vulneratus,
A sagitta Veneris,
Ex quo fui natus,
Telum fero pectoris
Nondum medicatus:
Cursu veni tacito
Quod sim liberatus.

Incessanter rogo te,
Virgo o beata,
Sic haec verba Veneri
Nunties legata.«
Ipsa mota precibus
Fortiter rogata
Nunciavit Veneri
Verba destinata:

Secretorum omnium
Salus o divina,
Quae es dulcis, praepotens
Amoris regina,
Aegrum quemdam juvenem
Tua medicina
Procurare studeas,
Obsecro festina.

Jussu sacrae Veneris
  Ductus in conclavi,
Cernens ejus speciem
  Fortiter expavi;
Flexis tandem genibus
  Ipsam salutavi:
»Salve, dicens, inclita
  Venus, quam optavi.«

»Quis es,« inquit, »juvenis,
  Qui tam bene faris?
Quid venisti, dicito,
  Quomodo vocaris?
Es tu forte juvenis
  Ille dictus Paris,
Ista de quo retulit,
  Cur sic infirmaris?«

»Venus clementissima,
  Felix creatura,
Cerno quod praeterita
  Nescisque futura.
Ipse sum miserrimus, —
  Res jam peritura —
Quem sanare poteris
  Tua levi cura.«

»Bene«, inquit, »veneris
  Noster o dilecte
Juvenis, aptissimae
  Sedes nostrae recte. —
Si tu das denarios
  Monetae electae,
Dabitur consilium
  Salutis perfectae.«

»Ecce«, dixi, »loculus
  Exstat nummis plenus,
Totum quippe tribuam
  Tibi, sacra Venus;
Si tu das consilium,
  Ut sat sim serenus,
Tuum in perpetuum
  Venerabor genus.«

Ambo junctis manibus
  Ivimus mature,
Ubi stabant plurimae
  Bellae creaturae:
Omnes erant similes,
  Unius naturae
Et unius habitus
  Atque vestiturae.

Nobis propinquantibus
  Omnes surrexere,
Quae, ut salutavimus,
  Responsum dedere:
»Bene vos veneritis,
  Vultis hic sedere«?
Venus ait: »Aliud
  Volumus explere.«

Innuens his omnibus
  Hinc abire cito,
Pariter remansimus
  In loco munito
Solis quiescentibus,
  Strato redimito
Plura pertractavimus
  Sermone polito.

Exuit se vestibus
  Genetrix amoris,
Carnes ut ostenderet
  Nivei decoris:
Sternens eam lectulo
  Fere decem horis
Mitigavi rabiem
  Febrici doloris.

Postmodum transivimus
  Ire balneatum
In hortanum balneum,
  Jovi consacratum.
Hujus aqua balnei
  Me sensi purgatum
Omnibus languoribus
  Beneque piatum.

Ultra modum debilis
  Balneo afflictus,
Fame validissima
  Steteram adstrictus.
Versus contra Venerem,
  Quamvis derelictus,
Dixi: »vellem edere,
  Si quis inest victus.«

Perdices et anseres
  Ductae sunt coquinae
Plura volatilia,
  Grues et gallinae,
Pro placentis ductus est
  Modius farinae:
Praeparatis omnibus
  Pransus sum festine. —

Tribus, reor, mensibus
  Secum sum moratus,
Plenum ferens loculum,
  Ibi vir ornatus
Residens: et Venere
  Sum nunc allevatus
Nummis; ad piaculum
  Sic sum praeparatus.

Terreat vos, juvenes,
  Istud quod auditis;
Cum sagittam Veneris
  Penes vos sentitis,
Mei este memores:
  Quocumque tunc itis,
Liberi poteritis
  Esse, si velitis.

GLOSSARIUM.

Actor qui accusat.
adnullare perdere.
aes Geld.
agon certamen sc. ciborum et potuum.
amodo nunc.
anhelare vehementer desiderare.
animosus hilaris.
applicare nancisci locum.
appositum melius leges: *vinum sit appositum.*
apugnare superare.
archa sc. aere repleta.
arcanum vinarium, dolium.
assatura caro assa.
assimilare similem facere.
attendere animum referre.
Australes Austriaci.

Beati pii mortui.
Blancaflor amica Floris in carmine epico eorum nominibus inscripto.
braccae Hosen.
bravium palma.
bursa Bursche.

Calceus Stiefel.
caliga Schuh.
camisia Hemd.
canus senex.
captivus miser.
catenare vincire.
Cato, auctor libri, qui inscribitur Disticha Catonis in medio aevo valde dilecti, qui incipit his verbis: Cum animadverterem quam plurimos homines errare in via morum, succurrendum et consulendum opinioni eorum fore existimavi.
cera tabella cerata.
clerici pravi non liberales.
coaptare accommodare.
coenobita monachus.
colere conservare.
collecta pretium, honorarium.
comitari sodalem se facere.
compendiose festinanter.
compunctio paenitentia.
computare numerare, habere.
conclave locus inclusus.
condescendere misericordiam habere.
conscius familiaris, callidus.
consulere consiliarius esse.
contemptibilis vilis.
conterere paenitentia effligere.
contestis testis.

crastinum crastino die.
crumena Geldbeutel.
cum venia No. 26 indulgens.
curialis comis, urbanus.

Dalida Delila.
Danae Danae.
Dare concedere.
Davus Geta Birria servi astuti veteris comoediae.
debacchari vino ex vino vacillare.
debibere bibendo deperdere.
decanus praesidis vicarius, v. praesul.
Decius Deus ludi talarii.
declinare exire.
decretales decreta.
deditare pauperem facere.
degenerare mores mutare.
delegare nunciare.
deludere ludendo deperdere.
denudare spoliare.
depascere nutrire.
deputare disponere speculandi causa.
descire oblivioni tradere.
Deus, Dea No. 8. intellige vinum et aqua.
dictamine, in in scribendo.
dionysia convivia.
discretus egregius, venerabilis.
ditare divitem facere.
domus lapidea caupona.
douceur, par e suavitate.

Electus Coloniae, Rainaldus archiepiscopus Coloniae, fautor auctoris quem dicunt Archipoetam et qui vixit s. XII. p. Chr.
eventus sc. prosper.

exaltare erigere.
exilium angustiae.
ex hac secundo loco.
ex quo sc. tempore.
exprobrare crimini dare.
exul miser, egens.

Fallere mendacii coarguere.
fantasmata umbrae.
favus placenta mellita.
feralis leg. pro ferialis.
festa dies festi, ut versus bene procedat *dele qui*.
fidelis commilito.
Flora puella aliis carminibus celebrata.
florescit pro florescunt No. 1, eadem constructio No. 28, 14, 15.
foecundare foecundum reddere.
forum Marktplatz.
fratres perversi fr. in errorem inducti.
fronesis p. 57, 3 Nom. propr.? (in stropha minus perspicua).
fructificare fructum reddere.
futura res futurae.
furta Veneris amantium furtivum commercium.

Galateae turris, de illa in libro, qui est de Pamphili et Galatheae amoribus, agitur.
gallina sc. assa.
gemini sidus quod vocant.
gloriari in alqm, se beatum praedicare propter alqm.
goliardus Deo vagorum Goliae serviens.
gula jugulum.

Hůshardus aleae deus.
hic haec hoc generis communis.
hinc, inde et—et.
horis decem No. 31 decies.
hordei mensura hordei modium.
hospitari aliqm. r. morari alqo. loco.
hospitium p. 8, 18 melius: ostio.
hospitare hospitio excipere.

Icta No. 30 timore affecta.
impendere curam muneris dare aliquid.
incestus adj.
inferni palatium p. 16, 4 sceleratorum sedes; melius legitur inferni regiam (sc. domum).
infestare insidiari.
inhiare oculos conjicere in.
insigne No. 23 pro insignis.
insudare operam dare.
integritas innocentia.

Jactura molestia.
judicio No. 1. sc. in judicio.
jugalis conjugalis.
jugiter semper.

Largus liberalis.
latitare cunctari.
legare statuere.
levita diaconus, minister, sacerdos secundi ordinis.
libra sidus.
loculus Geldbeutel.

Madius Majus.
magus homo sapiens.
mandatum dominicum auctoritas Jesus Christi.
marsupium Beutel.
Martinus sc. sanctus.
mature actutum.
matutinae sc. horae.
meda medicina.
medo aqua mulsa, Honigwasser.
milites silvani custodes silvarum vel latrones (?)
molendinum Mühle.
monachus dispersus m. qui paganis evangelium affert.
moras facere versari.
mordicare mordere.
morum Brombeere.

N . . . . nominis locum tenet.
novercari invidiosum esse.
nummata Zeche.
nummus Heller.
nuo novum.
nutare labefacere.

Obaudire non audire.
operosus sedulus.
opus opus, opera.
orphanus orbus.

Pallium Mantel.
palmes vites.
Papia Pavia.
par conjunx.
pare pari.
parens mater.
pastorella puella ovium custos.
pendulus incertus.
pensare considerare.
pertransire permeare.
Philistaeus diabolus.
philomena luscinia.
pincerna ministrator vini.
piscina Fischteich.

placite lege placide.
planta Sohle.
planum solum.
plene scio No. 28, 17 satis scio.
poetria ars poetica.
portitare oneratum esse aliqua re.
praeconium laus.
praeire superare.
praelibare gustare.
praesignis hilaris.
praestare p. 18, 9 sc. potando.
praeter p. 7, 16 commutandum cum *ni*.
praesul praeses, magister, episcopus.
presbyter sacerdos.
principes ecclessiarum episcopi et ecclesiastici superioris dignitatis.
procurare servire.
prodigus sumptuosus.
promptuarium cella penaria.
pruina loca frigida vel caupona.
pullulare satisfacere.

Redarguere de accusare.
redimire coronare, parare.
redolere videre facere.
regestum liber commentariis instructus.
regna polorum piorum sedes ac locus.
regulus serpens parvus vel Basilisk.
reprobare omnino non probare.
reprobus perditus.
reserare exponere.
resipiscere moribus moderatis uti.
rima cavum.
Rosa nomen puellae.
rosa rosa, pretium.
rosarius, n. vinum rubrum, m. qui id bibit.
rosea vinum rubrum.

Saccis induere omnibus bonis evertere.
saeculum, in in tempus infinitum.
salutare alloqui.
sapere scire.
secta a sequi.
securus salvus.
secus aliter, etiam.
semivivere ex dimidia parte quasi tantum vivere.
sera Riegel.
sermo levis s. lascivus.
serotinus vespertinus.
sophisticus inutilis.
sorores vanae fortasse leg. s. urbanis?
sortem mittere pro Baccho certatim bibere.
species No. 16. imago.
sponsus p. 46 seq. cfr. Cant. canticor. 1, 2.
Stilbon Mercurius.
stratum lectus.
subditus devotus, absconditus, inferior.
suffragium auxilium.
suln debemus.
suspirare a dispendiis lucri de inopia argentaria queri.

Taberna caupona.
tabernalis ad cauponam spectans.
tali dicto locum tenet hospitis nominis.

taurus sidus.
temperaneus maturus.
templum Veneris lupanar.
tenax avarus.
Thisbe Poeta nomen famosae amantis amicae suae attribuit.
titubare ex vino vacillare.
torcular Kelter.
tragent apportate.
Trevir Trier.
tripudium Tanz.
tunica Rock.
Tyndaris Helene.

Vatimonium pignus.
vagus goliardus.
vas Glas.
vena membrum virile.
ventus p. 35, 1 fort. leg. venter.
vespera missa vespertina.
vinclum pro vinculo.
vissia viscera.

Win vinum.

Errata et locorum corruptorum emendatio.*)

Pag. 2, 22 *l.* laetitiae. — 5, 16 *del.* in. — 7, 24 *l.* qui tot. — 9, 2 *l.* contraeat. — 9, 3 *l.* pauperie, *ib.* 14 os *pro vultum*, *ib* 10 His dicatis. — 15, 7 *fortasse* talem qui potavit. — 22, 18 *fort.* bibent et amiculi. — 24, 16 *l.* Bacche. — 29, 16 *l.* aeterno. — 32, 2 *l.* ventre *pro Venere.* — 33, 13. 14 *l.* reponuntur, Vinum aqua etc. — 36, 4 *del.* Sed. — 36, 5 *l.* dissoluta. — 37, 16 *l.*

*) Passim hoc loco conjecturae indicatae sunt alius veteris domus eruditissimique vestri fautoris, qui vestigia istius libri secutus novam et amoenissimam carminum clericorum collectionem nuper edidit et haud dubie vinum non solum emit sed etiam bibit et multis in locis veram lectionem ex eo haurire sciit.

secretissima. — 39, 15 *l.* adversi. — 44, 14 *l.* exta. — 44, 17 *Haec stropha in aliis lib. ms. sic fertur:*

Potus tuus pestifer
Est et venenatus,
Nisi sit prophetico
Sale dulcoratus.
In me tu vilissimus
Potus es mutatus etc.

46, 1 *l.* Vitium luxuriae. — 46, 7 *l.* patrius. — 48, 14 reos. — 49, 16 mox *pro calix?* — 50, 23 *l.* omnibus. — 53, 3 *l.* amores. — 55, 15 *l.* aerios. — 56, 22 *l.* vellet. — 57, 13 *l.* objicis. — 57, 15 *l.* quam. -- 58, 2 *l.* Majo dena. — 59, 3 *l.* solus. — 64, 11 *l.* levis *pro* cinis. — 73, 8 *l.* Traham. — 76, 10 *l.* mi incognita. — 77, 8 *l.* Ut *pro velut.* — 78, 5 *l.* fletibus *pro* floribus. —

Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co in Altenburg.